[Vinzenz Staufer]: Catalogus codicum manu scriptorum, qui in bibliotheca monasterii Mellicensis O.S.B. servantur I

Melk, 1889 Seite VIII

Quelle:
Copyright:

librorum invenire poterit." His verbis Burckhardi, qua ratione hic index iis, qui in nostra Bibliotheca libros adituri sunt, optime inservire possit, fusius addidit.

Atque his quidem, quos supra diximus, 1495 libris MSS. litterarum ab A usque ad M signatura circumscriptis inferioris aetatis librarius 87 codices signatura litterae N insignitos adiecit, qui in ultimis sex primi voluminis Stephani Burckhardi foliis leguntur, ita ut toto libro, qui Burckhardi nomen prae se fert, 1582 codicum nomina contineantur. Neque ex duobus XVIII. saeculi catalogis, quorum unum Bernardus Pez, quo viro nemo unquam Mellicensium litterarum laude praestantior erat, in suum usum conscripsit ac critica quadam tractandi ratione exaravit, alterum Martinus Kropff (haec est enim genuina nominis forma), monasterii bibliothecarius, multo sudore ac labore concinnavit atque anno MDCCXXXXVII. 1747
publicae luci commisit, quod ad numerum codicum pertinet, certum quidquam potest statui. Id unum pro certo adfirmare possumus, cum anno MDXVII. libros MSS. numero 1495 in 1517
hac bibliotheca fuisse e catalogo Stephani Burckhardi manu conscripto satis appareat, nostra vero aetate 2123 codices scriniis includantur, pro simplici computandi modo rem librariam nostram intra hos 372 annos 628 codicum numero auctam esse. Ex quo id coniectura possis consequi, priorum saeculorum libros tum in nostra bibliotheca fideliter servatos etiam nunc posse reperiri, cum ex veterum iudicio maius dedecus sit parta amittere, quam omnino non paravisse. Licet vero infitiandum non sit, unum alterumve librum, quem Bernardi Pez vel Martini Kropff aetate Mellicensium fuisse in horum indicibus reperimus, temporum cursu interiisse, id tamen nobis maerentibus solatio esse posse existimaverim, aliis quoque monasteriis in summa cura ac diligentia idem accidisse atque interdum evenisse, ut qui perierat liber in locum unde aberraverat rediret.